



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 113. Galliarum Rex a Burgundiæ Duce de pace reddenda sollicitatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](#)

Cum vero templum S. Mariæ de pace, Sæcul. XV.  
quod Sixtus Regularibus concesserat, A. C. 1471,  
nonnisi duodecimo post anno plene con-  
structum esset, ilsdem Caraffa Cardina-  
lis monasterium extruxit, suamque Bi-  
bliothecam dono dedit, Papa decernen-  
te, ut nihilominus iidem semper titulum  
ac privilegia Canonicorum Regularium  
Lateranensium haberent. Nempe adeo  
liberalis erat Pontifex, ut nulli petenti  
prorsus quicquam negare posset, & non  
raro simul pluribus easdem gratias, quas  
importunis precibus ab eo petebant, con-  
cederet. Hac de caufsa subscribendis li-  
bellis supplicibus Joannem Montmiralem  
in Curiæ negotiis longe exercitatissi-  
mum, industrium æque ac solerter prä-  
fecit, eo fine, ut omnem contentionis,  
ac invidiæ occasionem tolleret, simulque  
präpediret, ne favores peterentur, qui  
jam aliis concessi fuissent.

§. CXIII.

*Galliarum Rex a Burgundice Duce de  
pace reddenda sollicitatus.*

Jamjam Galliarum Rex oppidum sancti Quintini, & Ambianum suis subjiciebat armis; Quare Burgundiæ Dux tantis Ludovici victoriis perterritus, pacem efflagitat, datisque ex Atrebatenſi civitate ad Connestabilem literis eidem belli injustitiam, qua ipſem premeretur, expo-

B b 5 nit,

Sæcul. XV. A.G. 1471. nit, eumque rogat, in memoriam revo-  
caret, quod ipse fortunæ suæ incremen-  
ta Burgundi Ducis patrocinio deberet.

Ast Connestabilis Burgundum ultro in la-  
queos, qui ipsi parabantur, incidere gau-  
debat, quo circa studiose anxias ipsius cu-  
ras augens, hæc respondit: Jam nunc  
Burgundionum Familiae proximus, quam  
unquam alias, extrema impedit ruina;  
Ludovicus enim non modo duos exer-  
citus ad debellandam utramque Burgun-  
diam paratos tenet, sed etiam in duabus  
hisce Provinciis non paucos, quibuscum  
secreta communicat consilia, amicos  
numerat; Itaque unicum tam vicini  
periculi remedium supereft, si filiam suam  
Aquitanniæ Duci despondere haud re-  
nueret; initis enim hisce nuptiis, mox be-  
nignior fortuna oppresso adspirabit. Ve-  
rum Aquitanniæ & Britanniæ Duces  
datis hanc in rem literis Burgundo mul-  
tum diversa suggerebant consilia; prior  
enim, qui eo tempore cum Rege in ca-  
stris agebat, Duci perscrispit, quod sui  
amici nunquam ei defuturi sint, si forte  
eorum auxilio indigeret: ex adverso Bril-  
tanniæ Dux, qui nuperrime ad eundem  
Regem copias adduxerat, Burgundum  
ferme ad desperationem adegit, hæc  
ei significans: actum est de salute tua,  
nec ultra quicquam spei supereft; statuit  
enim Rex, quod te, quoviscunque de-

mum

mum dispendio, captivum abducere velit, **Sæcul. XV.**  
jamque omnia ad tuam ruinam sunt pa- **A.C. 1471.**  
rata. Burgundus ad utramque Epistolam  
responsum dedit, sed Connestabilis literas  
tam iniquo tulit animo, ut eis non mo-  
do respondere deditur, sed etiam  
eundem perfictæ frontis hominem com-  
pellaret.

### §. CXIV.

#### *Repetitæ ejusdem Duciæ preces.*

Præterea ægerrime ferebat Burgundus,  
quod Filiam suam nuptui dare per  
vim metumque urgeretur; quapropter  
copiae conscripsit, quas delectu habitu  
prope Atrebatum contraxit, ipsusque  
Sommonam versus duxit, ubi Pequinia-  
cum urbem feliciter occupavit. Atta-  
men, cum sub idem tempus totius Bur-  
gundiæ Comitatus seditionem ab A-  
rausionensi Principe conflatam intellige-  
ret, simulque ei nuntiatum esset, quod alter  
Regis Franciæ exercitus ipsum quo-  
que Ducatum infestis armis invasisset,  
Dux propriis suis viribus, copiisque dif-  
fusis, omnem penitus spem abjecit. Nec  
parum timorem augebat fama, quod  
Galli exercitum nuperrime a Burgundi  
Belliducibus tumultuarie contractum  
nullo ferme negotio profligassent, eo quod  
copiae ad militaris disciplinæ leges com-  
positæ